DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

LUMBORUM ARTHROPUOSI.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALI
DE
LUMBORUM ARTHROPUOSI;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU; ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

PRO

GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES FORD ANDERSON, A. M.

SCOTUS,

SOCIETAT. REG. PHYSIC. EDINEN.
SOCIUS HONORARIUS,
NECNON,
SOCIETAT. RER. NATUR. STUDIOS. EDINEN.
SOCIUS ORDINARIUS.

"*Qui duros nequeunt movere lumbos.*"
CATULL.

VIII. Calendarum Juliarum, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

M DCCC V.

PATRI INDULGENTISSIMO

ALEXANDRO ANDERSON,

QUO

NULLI FILIO

MELIOR,

HANC DISPUTATIONEM

PIETATE

D. D. DQUE

JOANNES FORD ANDERSON

REVERENDO VIRO

GEORGIO MOIR, M. D.

RERUM SACRARUM

IN

PETROPROMONTORII PAROECIA

PRÆSIDI,

TAM LITERIS QUAM VIRTUTIBUS

ORNATO;

QUO

FIRMO DIU AMICO

USUS EST;

PRÆTENUE HOC GRATI ANIMI TESTIMONIUM

LITERARUM MEMORIÆ

MANDAT

JOANNES FORD ANDERSON.

VIRO SPECTATISSIMO,

CAROLO HAY

FAICHFIELDIÆ

ARMIGERO,

ADVOCATO;

NON SOLUM

INSIGNI JURIS PRUDENTIA,

SED ETIAM

LITERIS, SCIENTIA, MORUMQUE COMITATE,

CONSPICUO;

PEREXIGUUM HOC

AMICITIÆ ET OBSERVANTIÆ

PIGNUS

PALAM

OFFERT

JOANNES FORD ANDERSON.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

LUMBORUM ARTHROPUOSI.

PROOEMIUM.

§ I. BENEFICUS rerum Opifex, utì hominem cæteris animalibus præposuit, quæ terram incolunt; eique largitus est, quotquot ad benè beatèque vivendum conducant; itemque rationem dedit, quâ, in rerum tam ordine et conservatione, quàm constantibus vicissitudinibus, numen agnosceret: ità, ne obliviscatur, undè sit et quàm brevi vitâ, fecit opportunum multis morbis, à quibus immunes sunt bestiæ rationis expertes.

II. Ex his verò morbis in nullum medici majore curâ animos attenderunt, quàm in scrofulam, eosque quibus mortales obnoxios reddit. Quum omnes ferè morbi illinc oriundi naturâ periculosi sint, et plerumquè lethales; medicinæ professores in studiis animos agitârunt, ut, cognitâ naturâ et causis, scirent, quâ ratione curaretur. Hæc verò studia hactenùs neque medicorum famæ, neque saluti ægrorum, prosperè evenerunt. Omni quidem ævo, et omni regione, prædicata solennitèr medicamenta sunt, quibus scrofula sanaretur. Hujusmodi verò splendidè mendacia hucusquè omnia, aliud post aliud, meritò exolêrunt: dum morbus, aut propriâ ipse formâ, aut alienam mutuatus similitudinem, invictus viget, pariter medicis opprobrium ac medicinæ.

III. Scrofula, quamdiù exterioris tantùm corporis glandulas *lymphaticas* petit et depascitur, formæ magis, quàm vitæ, infestus est; sed, ubì interiores partes invadit, velut cerebrum et pulmones, non solùm innumeris et gravissimis

gravissimis malis miseros afficit, sed etiam, quod pejus, rarissimè admittit curationem. Cùm ossibus se implicet, faciatque ut carie exedantur, miserandis affert dolores passu gravissimos, quosque vix lenire, nedum curare, potest medicina.

IV. Abscessus lumborum videtur naturâ scrofulam attingere. Strumosi enim, præ cæteris, eum patiuntur. Unà interdùm urget cum tabe pulmonum: et tam cursu, quàm eventu, strumosum coxendicis morbum plurimùm refert. Multam in eum curam medici nupèr impenderunt; utpote unum ex paucis strumosis morbis, ad quos levandos curandosque ars medicinalis multùm potest.

V. Morbus, de quo scribimus, antiquis haud incognitus videtur. Pomponius Atticus morbo periît, qui, sicut à Cornelio Nepote descriptus, hunc multis simulat. Sed, in re tantâ, auctorem ipsum, pro me, ponam. "Tali "modo," inquit, "cùm septem et septuaginta

"annos

" annos complêsset; atque ad extremam se-
" nectutem non minùs dignitate, quàm gratiâ
" fortunâque, crevisset, (multas enim hæredi-
" tates nullâ aliâ re, quàm bonitate, est conse-
" cutus); tantâque prosperitate usus esset va-
" letudinis, ut annis triginta medicinâ non in-
" diguisset: nactus est morbum, quem initio
" et ipse et medici contempserunt. Nam
" putârunt tenesmon: cui remedia celeria fa-
" ciliaque proponebantur. In hoc cùm tres
" menses, sine ullis doloribus, præterquam
" quos ex curatione capiebat, consumpsisset;
" subitò tanta vis morbi in unum intestinum
" prorupit, ut extremo tempore per lumbos
" fistula putris eruperit *."

CAP. I.

---

* Vid. CORNEL. NEPOT. *de* TITI POMPONII ATTICI *vita*.

CAP. I.

De Definitione.

VI. Morbum, quem agitamus, genere *LUMBAGINIS* comprehendit SAUVAGESIUS, et *LUMBAGINEM PSOADICAM* seu *APOSTEMATOSAM* appellat. Nostrâ verò opinione, ad id genus perperàm retulit: quippe, apud plerosque auctores probos, *LUMBAGO* significat tantùm *RHEUMATISMUM LUMBORUM*, qui non, sicut morbus de quo scribimus, in suppurationem abit.

VII. CULLENUS accuratiùs, utì solet, hunc morbum genus constituit; et nomine *ARTHROPUOSIS* definit his verbis: "Dolores artuum "vel partium musculosarum, sæpè post con-"tusionem, profundi, obtusi, diuturni; tumor "vel nullus, vel modicus, et diffusus; phlo-

"gosis

"gosis nulla; pyrexia primùm lenis, tandem "hectica, et simul partis apostema *."

CAP. II.

De Historia.

VIII. Nulla est ætas, quâ hoc morbo mortales non afficiantur. Adultos tamen, præ impuberibus, invadit; quia sæpiùs exponuntur causis, quæ efficiunt. Maribus, æquè ac fœminis, frequens et infestus est. Putat autem MONRO SECUNDUS, potissimùm, inter sextum ætatis annum et trigesimum accedere; et fœminas sæpiùs adoriri, quàm mares †. Strumosos, et morbis

* Vid. CULLEN. *Synops. Nosolog. Method.* tom. II. Gen. XXV.

† Aud. MONRON. SECUND. Prælect. *De Anat. et Chirurg.* in *ACAD. EDIN.*

morbis aliisve causis debilitatos, sæpiùs adoritur, quàm constitutione corporis sanos et robustos. Unus è paucis morbis est, quibus hominum pauperes et laboriosi magis patent *, quàm opulenti et otiosi. Ei potissimùm opportuni sunt opifices, qui, velut sutores et sartores, sedentariam quotidie artem exercent, inclinatis corporibus.

IX. Obrepente morbo, mala, quibus infelix homo afficitur, leviora sunt, quàm de quibus conqueratur. Neque enimvero quid periculi futuri mente capit, donec neglectus morbus haud parùm increverit.

X. Incipiente morbo, lumbi obtusè dolent, vel miserando perindè videntur, ac si essent, præter solitum, debiles. Simul, è regione lumborum, haud raiò dolet alvus †. Nonnunquàm

* Vid. CHESTON. *Patholog. Inquiries*, pag. 129.

† Vid. CHESTON. *Patholog. Inquiries*, pag 131. et ea, quæ annotavit HOULSTONIUS.

nunquàm tamen, ab ipso initio, lumborum dolor peracutus est; præsertìm si mole ingente tollendâ, aliisve quibuslibet nisibus violentis, morbus ortus est. Dolor in lumbis inhæret, paulò infra renes. Illinc nonnunquàm iter spinæ viâ sursùm intendit, et *psoarum* viâ deorsùm ad femina; ità ut medicus animi dubius sit, annon renum morbo æger afficiatur *.

XI. Lumbi simul ægro perindè videntur, ac si rigescerent; neque hic, ut anteà, potest movere corpus. Nequit, recto corpore, stare, ideoque plùs se minùsve proclinare cogitur. Femur et crus affecti lateris, ex difficili, movet; sæpè non, sine acutissimo dolore. Ubì gradus ascendere aut descendere tentat, aut iniquo loco ambulare, ea non potest, ut sanus solebat, animo volente, flectere; et, vel æquo loco, trahit magis, quàm attollit †.

XII. Ut

* Vid. BENJAMIN. BELL. *Surgery*, vol. v.

† Vid. ea, quæ JUSTAMONDI *Tracts* annotavit HOULSTONIUS.

XII. Ut eò processit, morbi particeps fit cæterum corpus. Arteriæ solito celeriùs et duriùs micant. Lingua arescit, et plùs sordescit minùsve. Languescit stomachus, néque, ut anteà, cibos appetit. Sitis urget. Arescit summa cutis, et incalescit. Noctu æger irrequietus est, et insomnis. Hæc mala, quæ partis inflammationem indicant, non in omnibus æquè ægris urgent; sed ex alia corporis constitutione, vel naturali causarum efficientiâ, in aliis vi alia sunt.

XIII. Mala, quæ memoravimus, postquàm breviùs diutiùs ægrum affecerunt, paulatìm remittunt, et iis alia, hæcque majora, succedunt. Ægri nunc corpus, temporibus inæqualibus interjectis, percurrunt horrores. Tardescunt arteriarum motus. Dolor, anteà vehemens, haud parùm mitescit. Imò interdùm prorsùs conquiescit; et pars, quæ dolebat, ægro proindè videtur, quasi onus eam gravaret. Dolor, si quis manet, inferiora paulò, quàm anteà, petit.

XIV. Debilitas, quam morbi initio lumbi sentiebant, nunc tanta fit, ut æger, non diutiùs erectus sedendi potens, lecto teneatur *. Quo ferè tempore hujusmodi signa laborantem partem suppurare indicant, æger plerumquè femur, animo volente, movendi facultatem redipiscitur. At haud rarò tamen, per totum morbum, non potest, nisi ægerrimè, extrorsùm vertere †.

XV. Increscente morbo, femur ægri lateris marcet, atque plùs minùs intumescunt inguinis glandulæ. Haud ità multò pòst, sex ferè mensibus duodecimve à morbi initio, in aliqua externa corporis parte oritur tumor: qui primùm exiguus est, et tactu durus; dein increscit; postremò mollescit, et percutiens eum digitus humoris fluctus movet. Hujusmodi tumor plerumquè est in superiore et priore feminis parte, sub *Paupartii ligamento*. Nonnunquàm

---

* Vid. JUSTAMOND. *Tracts*.

† Vid. ABERNETH. *Essay on Lumbar Abscess*.

nunquàm verò tumor in dorso oritur, si posterior *psoæ* pars fuerit inflammatione affecta *.

xvi. Ex abscessu pus, in pelvem delapsum, aliquandò efficit tumorem in *perinæo*, vel ex latere recti intestini; interdùm in fœminarum naturæ labiis. Tumor, ubicunquè est, nullum movet dolorem, nisi quantus ex superincumbentium partium distentione oriatur. Eum toties, quoties tussit æger, pus ex abscessu impulsum distendit. Sed levitèr compressus, dum recumbit corpus, paulispèr ex toto evanescit.

xvii. Tumor paulatìm eò increscit magnitudinis, ut nonnunquàm duos amplius sextarios puris contineat †. Hoc plerumquè vel, erosâ sibi viâ, effluit, vel, plagâ ferro factâ, emittitur. Interdùm verò, ut à Houlsto-

NIO

* Vid. Aberneth. *Essay on Lumbar Abscess.*

† Vid. Aberneth. *Essay on Lumbar Abscess*, et Aud. Monron. secund.

NIO accipimus, ex tumore, postquàm in magnam increverit molem, et aliquandiù constiterit, pus resorbetur, et in sanguinem conducitur; neque tamen, hinc separatum, manifestat se in excretis humoribus. Modò ex sanguine in renibus secretum, unà cum urina, quam sanè fœtidissimam reddit, per meatus illinc profectos, corpore excernitur.

XVIII. Eorum, in quibus absorptum pus est, nonnulli secundâ fruuntur valetudine, neque iterùm morbo exercentur. Aliis, post aliquot annos, redit morbus, et mortem affert. Haud pauci tamen ex pure absorpto pulmonibus tabescunt, et lentâ morte pereunt.

XIX. Ubì, ut sæpissimè, suppuratum fatiscit, humor discolor, et spissitate varius, effunditur. Colore plerumquè lactis cremorem refert. Modò subviridis est, eique intermiscentur duriuscula quædam, lacti coacto caseive frustulis assimilia.

XX. Haud

XX. Haud multò post hujusmodi humorem effusum, interno ubique apostemati, dummodò etiamnùm osculo pateat, supervenit inflammatio. Hanc brevi subsequuntur febris, macies, et maxima debilitas, quibus, haud longo plerumquè tempore, æger absumitur.

XXI. Febris, quæ succedit, plerumquè *hectica* est: modò, qualis inflammationem comitatur *. Qualis autem initio cunque sit, rarissimè tamen diù antè urget, quàm in *hecticam* abit. Nonnulli putant, hujusmodi febrem, quæ rupto patefactove abscessui superveniat, veræ *hecticæ* dissimilem esse, quæ consumat syntecticos. Sic ratus HUNTERUS †, *FEBREM DISSOLUTIONIS* nuncupat, seu *IRRITATIVAM*. Fortassè est, quamobrèm febris paulispèr sic nominetur; sed, fermè tempore haud longo, veram vertitur in *hecticam*.

XXII. Simul

---

* Vid. ABERNETH. *Essay on Lumbar Abscess.*

† Vid. JOANN. HUNTER.

XXII. Simul cum febre increscunt lumborum dolor et debilitas; usquè nonnunquàm eò, ut æger in lecto neque residere, neque se vertere possit. Qui effunditur humor, is copiosior fit, pertenuis, et fœtidus. Cum sanioso humore haud rarò proveniunt ossis frustula, quæ ostendunt, vertebrarum aliquas haud dubiè carie affici.

XXIII. Hujusmodi malis urgentibus, neque multùm mutatis, morbus in tempus haud definitum continuat. Ægrum aliquandò tollit duabus hebdomadis *. Nonnunquàm eum, unum amplius annum, priùs attenuat, quàm mortem affert.

XXIV. Hujus morbi formidolosi signis, longinquitate, et eventu dictis, nunc paucis memorabo, quæ morbida, in mortuorum eo cadaveribus, incidentium oculis obveniant.

CAP. III.

* Vid. JUSTAMOND. *Tracts*, pag. 122.

CAP. III.

De morbidis, in hoc morbo mortuorum cadaveribus, observatis.

XXV. Priùs verò, quàm hæc narrandi initium faciam, haud à re erit alienum, paucis explanare situm partium, quas potissimùm morbus afficiat. His enim cognitis, præcipua malorum, quibus urgentur ægri, explicatu faciliora erunt.

XXVI. Musculus, PSOAS MAGNUS dictus, super quem hic morbus situs est, et ex quo trahit nomen, distinctis carnosis fasciculis ortus ex corporibus transversisque processibus imarum dorsi vertebrarum, et ex vertebris lumborum omnibus, descendit musculi crassi et rotundi formâ, totum ex uno vertebrarum latere

tere spatium implens. Descensu latus pelvis, à superiore parte, finit, et, super osse pubis, concurrit *musculo iliaco interno;* quocum, sub *Paupartii ligamento*, abdomine egressus, *minori* femoris *trochanteri* inseritur, quò corpus firmet, et femen extrorsùm vertat.

XXVII. Musculum sic descriptum, qui, ab exteriore *peritonæi* parte, est, circumdat laxa tela reticulata; maximè verò ex lateribus, ubì hunc musculum, juxtà atque *quadratum lumborum*, *peritonæo* connectit. In hac potissimùm parte insidet morbus, de quo scribimus *.

XXVIII. His, de partibus quas præcipuè morbus invadit, obitèr dictis, nunc morbida in iis, utì, post mortem, oculis cadavera introspicientium obveniunt, brevitèr memorabimus.

XXIX. Viscera

* Vid. ABERNETH. *Essay on Lumbar Abscess.*

XXIX. Viscera abdominis æqualiter omnia sana apparent; secùs atque prædivinaret quisquam, qui cognovit, quàm gravibus ea doloribus, dum manebat vita, morbus affecerit*. Quinetiam eorum sanitas magìs præter expectationem videtur, quòd à superiore spinæ parte cariosâ aliquandò thoracis viscera detrimentum accipiunt. Hinc plus semel cognovit FORDIUS pulmones tabescere †.

XXX. Intestinis submotis, *peritonæum*, *musculo psoæ magno* superinductum, nonnunquàm decolor conspicitur, et sano crassius; atque ex eo inciso plus minus puris effluit in magnum ipsius saccum, qui *ABDOMINIS CAVUM* appellatur ‡. In tela reticulata, quæ hunc musculum connectit *peritonæo*, amplus plerumquè

C ab

* Vid. CHESTON. *Pathological Inquiries*, pag. 131.; et ea, quæ annotavit HOULSTONIUS.

† Vid. FORD. *Treatise on the Hip Joint*, pag. 234.

‡ Vid. CHESTON. *Pathological Inquiries*.

ab explorante detegitur sinus; qui ducit in eam feminis partem, undè pus abscessu delapsum fermè erumpit.

XXXI. *Psoas* nonnunquàm *musculus*, ferè ex toto, consumptus apparet *, itemque *iliacus internus*. Ex vertebris nonnullarum corpora sæpè adeò cariosa sunt, ut possint diffringi; simulque earum processus permolles et fistulosi †. Nonnunquàm caries pertinet ad *os sacrum* et *ileum* ‡. *Tendinosa* interdùm membrana,

---

* Vid. CHESTON.—Nonnunquàm tamen integer ille musculus est. Vid. HAEN. *Rat. Medend.* vol. i. pag. 222.

† Vid. BELL. Surgery, vol. v. pag. 429.
MORGAG. *De Sed. et Caus. Morb.* Epist. XL. art. 27.

‡ Vid. JUSTAMOND. *Tracts*, pag. 122. et 277.
MORGAGN. loc. modò citat. ubì hæc habet verba.

" NOVI parite , ex Actis CÆSAREÆ ACADEMIÆ,
" lumborum dorsique dolores in iis fuisse, in quibus
" magni

brana, quæ vertebrarum corpora involvit, integra est; dum ipsæ vertebræ, hâc nudatæ, oculis obveniunt corruptæ, et pure perfusæ *.

XXXII. In cadavere adolescentulæ, quæ periverat morbo quem persequimur, amico nostro incidenti sequentia, ut ab ipso accepimus, morbida apparuerunt. Lumborum vertebrarum tertia et quarta adeò cariosæ erant, ut posset digitis facillimè penetrare. Os sacrum, a posteriore parte, ferè ex toto denudatum ulceratione erat, et cariosum. *Mesentericæ* glandulæ morbidæ erant; pleni tuberculis pulmones. Unius feminis vena inflammata videbatur,

---

" magni interni abscessus latebant, cum vertebrarum
" aut lumbarium infimarum nigredine, et carie quæ
" dimidium sacri ossis in parva frustula comminu-
" erat, aut lumbaris primæ, et thoracis ultimæ, non
" dissimili vitio."

* Vid. ABERNETH. *Essay on Lumbar Abscess*, pag. 107.

batur, usquè ad mediam inter inguen et genu partem; atque, in una parte, penè impervia.

CAP. IV.

De Causis.

XXXIII. Omnia, quæ corpus debilitant, huic morbo opportunum reddunt; quo fit, ut naturâ invalidi, et fortuitis causis infirmati, præ cæteris, ei pateant.

XXXIV. Hujusmodi causæ sunt, strumosa corporis constitutio; spina læsa, musculive ei connexi; vehementes exercitationes, præsertìm onerum elationibus *; spina graviter icta †; corpus

---

* Vid. CHESTON. *Patholog. Inquir.*
JUSTAMOND. *Tracts*, pag. 121.

† Vid. BELL. *Surgery*, vol. v. pag. 422.

corpus saltu, altove casu concussum. His, ut putant quidam auctores, accedant longæ et frequentes equitationes; frigus vehemens diù corpori applicatum; morbi, qui febrem et inflammationem habent; *acutus* denique *rheumatismus*.

XXXV. Iisdem porrò causis annumeranda sunt corpora opificum, sutorum nempè, sartorum, aliorumque quorundam, diù singulis diebus proclinata, dum artibus suis exercendis versantur. Longa hujusmodi positura facit, ut non solùm spina procurvetur; sed etiam ut vertebræ intumescant, et tam ipsæ, quàm membranæ quibus investiuntur, inflammationem concipiant, deinque abscedant. Abscessum lumborum, hâc causâ ortum, ipse compluries vidi in sutoribus; quorum uni, quippe cui cariosa esset multa pars spinæ, mortem attulit.

XXXVI. Hìc loci, haud à re nostra erit, verba Ludvigii citare. "Eos primùm," inquit, "re-

" spicio,

" spicio, qui sub opere quodam sedendo, par-
" tem superiorem corporis diutiùs antrorsùm
" flectant. Non solùm enim ii, qui ex debilitate
" oculorum, caput versus res accuratiùs con-
" templandas deprimunt, vel, in minuto opere
" efficiendo, oculos diù et cum attentione ei
" affixos tenent, in hunc situm deferuntur;
" sed ii quoque, qui, in sedilibus minoribus
" collocati, tùm, cùm laborem perficiunt, tho-
" racem versus genua deprimunt, subinde in
" lumbis confirmatam quandam curvitatem
" habent, ut, etiamsi ab opere consueto va-
" cent, nunquàm verè erecto, sed inflexo ma-
" gis corpore incedant. Crebriora hujus rei
" exempla in sartoribus et sutoribus vidi;
" qui, hanc incurvationem corporis cum ali-
" quo incommodo percipientes, ipsi affirmâ-
" runt, se, per diuturnos labores, ad eandem
" deductos esse. Neque illa inter thoracem
" et lumbos est, sed magis in inferioribus lum-
" borum vertebris *."

CAP. V.

---

* Vid. Ludvig. *Adversaria, De Causis Distortæ Spinæ*, vol. ii. pag. 571.

CAP. V.

De Diagnosi.

XXXVII. Morborum, quibus patent mortales, nullus forsitan est, quem accuratè dignoscere utilius esset, quàm eum de quo scribimus; præsertìm initio, ubì facilè posset medicina gradum sistere, et futura arcere mala.

XXXVIII. Hujus verò morbi principio, pariter atque aliorum quorundam internorum, qui naturâ strumosi videntur, signa plerumquè adeò dubia sunt, ut vel expertissimus medicorum animi incertus sit, necne urgeat. Quo fit, ut morbus, dum ambigit de eo medicus, usquè eò increscat, ut medicina ad curandum nihil valeat.

XXXIX. Incipiens morbus, de quo scribimus, signis

signis *lumbaginem* et *nephritidem* multùm refert: inveteratus potest ab errante medico haberi, pro *strumosâ ischiade* aut *crurali herniâ*; proùt abscessus sit in clune, aut sub *Paupartii ligamento* in antica feminis parte.

XL. *Lumbago* tamen et noster morbus compluribus inter se differunt. Ille enim morbus, secùs atque hic, nullam febrem habet; sed plerumquè subitò invadit, et acutissimum ab initio movet dolorem, præ quo æger non omninò se lecto movere potest. Abscessus lumborum, contrà, à debilitate magìs incipit, et sensu partis molesto, quàm à dolore. Rarissimè à principio vehemens dolor est, nisi ubì morbum excitavit violens nisus, ingensve molimen. Quinetiam febriculam habet.

XLI. *Nephritidi* et lumborum abscessui communia sunt febris, et dolor in regione renum, deorsùm urinæ meatûs viâ intentus. Utrique tamen morborum propriæ plerumquè notæ sunt, quibus ab altero distinguatur.

Renibus

Renibus laborans gravi subindè vomitu urgetur, non item lumbis affectus. Illius porrò, contrà ac hujus, urina non solùm solito frequentiùs redditur, sed etiam aut tenuis et decolor est, aut parca et ruberrima.

XLII. *Ischias.*—Morbus, quem agitamus, si abscessit, et pus delapsum in clunem est, faciat, ut medicus dubitet, annon sit ischias. Utrisque enim morbis commune est, femur affecti lateris aliquantulùm prorsùm flecti, et natem videri compressam seu complanatam. Signa tamen, quæ hos morbos antecedere solent, aliquantùm diversa sunt.

XLIII. Incipiente ischiade, membrum ægri lateris marcet, et tanquàm in longitudinem increscit. Genu dolet, et femoris motu dolet item coxendix. Sed, obrepente lumbis morbo, quem persequimur, præcipua mala, quæ movent querelam, sunt lumborum infirmitas, et dolor hinc se *psoæ* viâ deorsùm intendens.

XLIV. *Hernia cruralis.* Lumborum abscessus, ex quo delapsum pus se primùm ostendit in inguine, tumore, quem hìc movet, *herniam cruralem* simulat. Huic tamen cæteris differt. Abscessum enim lumborum antegrediuntur notæ, quæ inflammationem indicant, *herniam cruralem* non item *. Quinetiam *hernia cruralis* compressa, ullove modo duriter contrectata, haud levi dolore ægrum afficit; non item tumor, quem fecit pus ex lumborum abscessu delapsum. Huc accedit, quòd tumor *hernialis* sæpè tactu tumulosus et inæqualis est; dum alter, in quem pus urgent singulæ tusses, tactu levis est, et, digito leviter pulsus, fluctûs sonum movet. Hoc porrò tumore affectis, illo non item, proprium est, ut putant MOTTEUS †, et MONRONUM TERTIUS, non, nisi ex difficili, et cum dolore, femur flectere.

CAP. VI.

---

* Vid. MONRON. TERT. *On Crural Hernia.*

† Vid. SAUVAGES. *Nosolog. Method.* vol. ii.

CAP. VI.

De signorum ratione.

XLV. Nunc mihi consilium est paucis exponere, undè oriantur præcipua malorum, quibus mortales urgeat lumborum abscessus.

XLVI. *LUMBORUM DOLOR* et *DEBILITAS* proficiscuntur ex inflammatione graviore levioreve, quæ, ut satìs constat, semper morbi initio existit. Eodem, putamus, fonte proveniunt mala, quibus perturbatur totius corporis valetudo.

XLVII. *FEMORIS MARCOR*, et *GLANDULARUM IN INGUINIBUS TUMOR*, qui suppurationi superveniunt, pure efficiuntur, arterias, venas, nervos, bibulaque vasa comprimente; et sic impediente, ne sanguine et nervorum efficaciâ reficiatur

ficiatur et sustineatur femur, simulque ne absorptus hinc humor expeditè in sanguinem redeat.

XLVIII. *Pus* ut *DELABATUR* in partes, à morbi sede tam remotas, concurrant multa, quæ efficiant.

XLIX. Inflammatio, quippe cùm longa sit, non facit, ut circumjecta tela reticulata adeò adhæreat et crassescat, ut, sicut in abscessibus ex acuta inflammatione, pus contineat. Hoc itaque tàm propriâ gravitate, quàm telæ laxitate, delabitur, per musculum *psoam*, ad priorem feminis partem. Putat THOMSONIUS, pus in suppuratis lumborum primùm telâ reticulatâ circumjectâ et adhærente contineri, juxtâ ac in aliarum partium suppuratis; neque priùs delabi, quàm oppositum hunc parietem aut mole perruperit, aut acrimoniâ eroserit *.

L. Quinetiam,

* Aud. JOANN. THOMSON., *CHIRURGIÆ PROFESSOR. EDIN.* Prælect. *De Chirurgia.* Ann. 1804-5.

L. Quinetiam, utì dorsi musculi numero et crassitudine impediunt, ne pus extrorsùm erumpat; sic *peritonæum*, quod interdùm, ut à FYFFEO accipimus, solito crassius est sive pure nondùm delapso id comprimente, sive inflammatione quæ ex lumbis in id serpsit, obstat, quò minùs idem, per hanc membranam erosam ruptamve, influat in abdominis cavum. Verùm nihilo tamen minùs pus nonnunquàm, per musculos, sibi viam extrorsùm erodit; aliquandò introrsùm, per *peritonæum*, in cavum abdominis †.

LI. *FOETOR*ne *PURIS*, qui, paulò post ruptum abscessum externum, nares offendit, carie vertebrarum oriatur; an pure ipso, dum lumbis delabitur, vitiato; an, utì putat ABERNETHEIUS, ipsis suppurati arteriis, quæ præbent humorem ex quo pus efficiatur, morbidè irritatis excitatisve; nondùm medicis constat.

LII. Est

* Vid. FORDIC. *Elements of the Practice of Physic.*

LII. Est tamen argumentum, ex similitudine ductum, quod ABERNETHEII sententiam vero haud absimilem reddat. Secreti ex sanguine humores, modò, vasis per quæ separantur irritatis, justo copiosiores sint, fiunt solito acriores; velut pituíta narium, distillatione urgente; mucus intestinorum, in dysentericis; et bilis cholerâ laborantium.

LIII. *Hectica febris* potest oriri, aut ex absorpto pure; aut irritatione, quam totum corpus accipit ex sacci inflammatione; aut ex utrisque.

LIV. Sunt, quæ verisimile faciant, inflammationem sacci multùm ad *hecticam* excitandam conducere. Notæ hujus febris raró apparent, donec abscessus ruptus sit, et sive aëre intromisso, sive aliâ aliquâ causâ inflammationem conceperit. Vel ex rupto abscessu quotidie videmus, ut observat ABERNETHEIUS, multum fœtidi puris effundi, neque tamen ægros *hecticâ* consumi.

LV. Quinetiam,

LV. Quinetiam, ut benè novit unus medicorum quisque, *hectica* nonnunquàm oritur ex inflammatione in aliis corporis partibus. Hujusmodi enim febris haud rarò discutienti se pulmonis inflammationi supervenit. In sacco abscessûs lumborum pus interdùm aliquandiù continetur, imò hinc ex toto resorbetur, neque intereà tamen oritur *hectica.*

LVI. Quum verò, abscessu rupto aut patefacto, puris habitus haud parùm mutetur; verisimile est, absorptum, et in sanguinem conductum, facere, ut perturbetur totius corporis valetudo, et lentâ vires tabe consumantur.

CAP. VII.

De Prognosi.

LVII. Hic morbus, ut constat inter omnes medicos, qui eo laborantibus subvenerunt, plerumquè

rumquè lethalis est. Eo igitur afflictos spe futuræ valetudinis erigere non possumus.

LVIII. Robustis quidem, quibus, post abscessum pure erosum, ferrove patefactum, levis tantùm *hectica* est, aliqua spes manet.

LIX. Verùm, ubì spina curvatur; et ubì ex testis, unà cum pure elabentibus, patet, nonnullas vertebrarum cariosas esse, fieri vix potest, quin æger morbo pereat. Pessimi quoque morbi est, et vix non lethalis, ægrum tussi, spirandi difficultate, aliisque malis urgeri, quæ pulmones morbi participes esse ostendant.

CAP. VIII.

De Curatione.

LX. Quò morbum, quem agitamus, curarent medici, multa sanè remedia et medicamenta,

menta experti sunt, modò secundis avibus, modò adversis.

LXI. Non omni morbi tempore eadem valent auxilia. Alia enim ei incipienti et suppuranti conveniunt, alia suppurato. Etsi felix inveterato morbo succurrendi ratio, quam nostrâ ætate sequuntur medici rationales, sæpè facit, ut nonnulli obrepentem nascentemve negligant, artis salutiferæ potentiâ nimìs confisi; tamen, futurâ spe fallente, omissæ recenti morbo obstandi occasionis eos haud raro pœnitet et pudet.

LXII. Postquàm abscessit quidem morbus, ratione, quam proposuit ABERNETHEIUS, pus plerumquè tutò emitti potest, et ulcus, integrâ corporis valetudine, ad sanitatem perduci. At varia tamen haud raro concurrant, quæ obstent, quò minùs ulcus sanetur. Nonnunquàm enim in strumosis plagæ factæ, per quas pus effluat, inflammatione capiuntur, ac in ulcera abeunt; et *hectica*, quæ subsequitur, len-

tâ morte ægros absumit. In aliis mortalibus, lumborum morbus ex aliquibus vertebrarum morbidis oritur; et, initio neglectus, eò procedit gravitatis, ut medicina eum curare nesciat.

LXIII. His cognitis, optimum factu videtur, incipientem inflammationem discutere; et, si sive medicinæ impotentiâ, sive ejus ope non opportunè petitâ, lumbi suppuraverint, efficacissimis auxiliis efficere, ut pus resorbeatur, neque priùs plagâ factâ hoc emittere, quàm illa parùm valere usus comprobaverit.

LXIV. Quanquam inflammationis tarditas videtur requirere, ut stimulantia et roborantia subveniant; tamen periculo compertum est, sedantia esse potiora auxilia. Veruntamen, cùm magna vis inflammationis nunquàm ferè urgeat, sanguinem ex brachio emittere raró opus est. Satius compererunt medici hirudinibus, aut cucurbitulis cum ferro, eum elicere ex parte ipsâ, vel certè quàm proximâ. Sanguis

sic

sic detractus, ad inflammationem sive externæ partis, sive internæ, digerendam permultùm valet.

LXV. Ad inflammationem lumborum, de qua dicimus, discutiendam, fortassè aliquantùm quoque pollebit exulceratio; quoniam in aliis quibusdam morbis, quos strumosâ itidem corporis constitutione ortos putant medici, *hydarthro* nempè, et pulmonum tabe, haud parùm proficit.

LXVI. Eundem in finem, lumbis laborantes experti sunt *fonticulos* et *setacea;* ex quibus, tùm verò maximè ubì cariosæ vertebræ erant, sæpè haud parvam utilitatem acceperunt.

LXVII. Omnis intereà motus vitandus est, quippe quo nihil potentiùs aggravet morbùm, mortisve gradum properet.

LXVIII. Si, his neglectis vel parùm valentibus, lumbi suppuraverint, oportet medicum

ægris

ægris præcipere ut ea assumant faciantque, quæ consequantur ut pus in sanguinem resorbeatur. Hunc autem in finem, alia aliàs aliisque proposita sunt.

LXIX. *Ignem electrinum* haud parùm posse, periculo compertum est. Plurimùm pollet, ut comperit ABERNETHEIUS, ubì ictus leves à vertebris ad inguen usquè diriguntur, donec ægro molestiam moveant.

LXX. Eodem consilio, haud parùm valet vomitus. Optima, quibus hic moveatur, sunt *sulphas zinci*, *sulphas cupri*, vel *ipecacuana*, pro ægri viribus.

LXXI. *Cœruleum* ex hydrargyro *unguentum* nonnullis idoneum visum est, quo ad pus absorbendum cieantur vasa bibula. Quippe tamen cùm quotidiano usu hydrargyrus corpus plùs minùs debilitet, forsan tùm maximè potest tutò adhiberi, ubì robusti lumbis laborant.

LXXII. Quinetiam, ut resorbeatur pus, et optata redeat sanitas, ægrum continere se lecto, et ab omni motu abstinere, utilissimum est. Quantùm, hunc in finem, polleat quies, docet nos adolescentula, viginti duos annos nata, cujus meminit DAVID*. Hæc enim, iniquo casu de gradibus lapsa, lumborum morbum nacta est, qui, impotente medicinâ, abscessit. Delapsum ex abscessu pus, sub *Paupartii* ligamento, fecit tumorem: qui paulatìm increvit; dein quatuor menses constitit; tùm, nullâ plagâ factâ quâ pus efflueret, quatuor mensibus prorsùs evanuit, pure interìm nec interruptâ quiete absorpto.

LXXIII. Ubì enimvero vertebræ multum ex morbo detrimentum ceperunt, quies unicum forsan remedium est, quo possint ad sanitatem reduci. Strenua enim corporis inertia optatam Naturæ dat occasionem, quâ disjuncta ossa sibi invicem committat. Quò verò minùs, Naturâ

---

* Vid. DAVID. *Memoir on the effects of motion and rest in curing diseases*, ut citat. à JUSTAMOND.

Naturâ adjuvante, coalescant ossa, impedit æger, quoties corpus movet, vel propriis ambulare pedibus aggreditur. Nam motus, morbidæ partis vasa irritando, facit ut pus justo uberiùs effundatur, et morbus aggravescat.

LXXIV. Ubì medicus potuit neque inflammationem digerere, neque facere ut pus ex abscessu resorbeatur; debet plagâ factâ hoc emittere, ne morâ vitium capiat, totiusque corporis labefactet valetudinem.

LXXV. Quum observârint medici, pus abscessûs lumborum non citò vitiari; et mitiorem sequi *hecticam*, quoties apostema sponte exiguis fistulis pus effunderet, quàm quoties ore quod fecerit ferrum aut urigo; inducti sunt, ut, Naturâ duce, exiguo foramine emitterent.

LXXVI. Conspicatus, quantum mali æger acciperet ex abdomen scalpello temerè patefaciendo, utì solebat MOTTEUS, et aëre per plagam admisso, primus omnium, quantùm scimus,

proposuit

proposuit David, abscessum exiguo ferro mucronato * perforandum sic, ut nihil interìm aëris intromitteretur. Abernetheius ex periculis prosperè factis inductus est, ut ad hujus auctoris sententiam lubens accederet.

LXXVII. Pure, per plagam exiguam aut ferro mucronato, aut scalpello chirurgico factam, emisso, plagæ oræ subtiliter committendæ emplastro glutinoso sunt; dein, superinducto hapso, iis permittendum, ut coalescant et cicatricem contrahant. Siquandò, ut interdùm, saccus, ex quo emissum pus est, pus denuò trahat, eadem iterùm facienda sunt, ac, si opus, tertiùm, donec, parietibus ejus internatâ carne impletis et solidatis, pus diutiùs trahere cesset.

LXXVIII. Ubì, ante remedia et medicamenta adhibita, pus sibi ex abscessu erosit viam; vel ubì plagæ factæ, per quas efflueret, in ulcera abiêrunt;

---

* Anglicè *trochar* dicto.

abiêrunt; *hectica* vix non semper supervenit, et macie ægrum conficit.

LXXIX. Postquàm morbus eò processit inveterationis, etiamsi nulla ferè spes curandi maneat, graviora tamen mala aliquantùm levari possunt. Quibus medici his subveniant, paucis dicemus.

LXXX. *Cinchonæ* cortex multùm prædicatus à medicis est, utpotè medicamentum ad *hecticam* mitigandam efficacissimum. Optima, ex eo præparata, sunt *aqua decocta*, et *extractum*. Pulvis plerumquè stomacho alienus est, neque raró insanabilem alvi fluxum movet, qui brevi lethalis est *. Utile compertum periculo est, singulis pulveris decem granis tria myrrhæ aut radicis amaræ adjicere; et ægro præcipere, ut bis quotidie tantundem assumat †.

LXXXI. Ut

* Aud. Profess. THOMSON. Prælect. *On Surgery*, EDIN.

† Vid. JUSTAMOND. *Tracts*, pag. 125.

LXXXI. Ut levarent dolorem, et caverent, ne perpetuâ irritatione saccus, ex quo pus effluxit, malo habitu accepto, sanari recusaret, et *hecticam* moveret, diversas in hunc lotiones immiserunt medici. Opium aquâ solutum ABERNETHEIUS, myrrham aquâ solutam JUSTAMONDUS, cum fructu injiciebant. Opium quoque, in stomachum assumptum, multùm, ut ipse vidi, ad mitigandum dolorem et irritationem conducit. Idemne faceret *digitalis?* Novi medicum experiri; et, quamvis non omnia optata fecerit, paululùm tamen profuisse videbatur.

LXXXII. Diæta intereà debet esse boni succi et concoctu facilis, qualisque, dum benè alit corpus, non nimìs stimulet. Aëre simul puro, quo sanè nihil strumosis salubrius, ægrum quàm potest maximè perfrui oportet.

FINIS.